



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

37. An recipiens Ordines sacros extra tempora, vel sine literis dimissoriis
vel ante legitimam ætatem incurrat suspensionem? Et deducitur, an
quando dubitatur, an lex fuerit promulgata, & ab vsu ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXXVII.

An recipiens Ordines sacros extra tempora, vel sine litteris dimissoriis, vel ante legitimam aetatem incurrat suspensionem?

Et deducitur, an quando dubitatur, an lex fuerit promulgata, & ab usu recepta, tunc non obliget lex, nisi censuram, suspensionem, vel irregularitatem imponat?

Et quid, quando non sumus in dubio, sed quando adsunt opiniones probabiles hinc, & inde?

Et an quis in supradicto primo casu possit obtinere dispensationem virtute Bullae Cruciatæ, vel privilegiorum Regularium? Ex part. 11. tract. 4. & Misc. 4. Resol. 7.

§. 1. **N**egativam sententiam docet ex Dominicanorum familia Magister Antonius Hinojosa in hoc §. inf. in directorio Decisionum Regularium litt. O. fol. 3. 6. ubi sic ait: Ordines Sacros recipientes extra tempora, vel ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis incurrun suspensionem ipso facto per Extravagant. Pii II. quam videre est apud Navar. cap. 26. num. 69. Sylvestr. Ioan. Bern. & Soto tenent hanc sententiam propter hanc Extravagantem.

2. Sed Armilla verbo irregularitas §. 82. dicit ex Tabiena, quod non fuit recepta hæc extravagans. Quorum opinioni subscribendum videtur, quoniam ea, quæ sunt de jure positivo, oportet ad hoc quod ligent sufficienter promulgentur, & etiam quod usu utentium recipiantur, & cum hujusmodi extravagantes non sint in corpore juris, apparet de non sufficienti earum promulgatione. Non esse autem usu utentium receptam constat ex auctoritate Armillæ, & Tabienæ. Item quia in Concil. Trident. sess. 23. cap. 12. ponitur ætas ordinandorum, & cap. 13. quod non recipiantur duo ordines eodem die, &c. quod si quis ab alio quam à proprio Episcopo ordinatus fuerit, sit ipso facto suspensus ab ordinibus susceptis, & sess. 7. cap. 10. ponitur poena ex cap. sede vacante, & ordinato. Vbi nulla mentio si extra tempora, vel ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis, quis ordinatus fuerit. Ex quo videtur standum solum dispositioni Concilii. Hucusque Magister Hinojosa.

3. Cujus sententia si esset probabilis, plures suspensiones à Clericis evitarentur, & à petendis dispensationibus immunes essent.

4. Posset hæc opinio confirmari ex alio casu simili, quem adducit novissimè doctus, & amicissimus Pater Escobar & Mendoza in sua Theol. moral. tom. 1. lib. 5. sess. 2. problem. 14. num. 121. ubi ita asserit; Antonius itaque dubio ac accipit animo, num lex excommunicationem, seu suspensionem, seu irregularitatem præ se ferens sit usui recepta, nec ne? Potest Antonius tuta conscientia eam partem amplecti, quæ negat legem acceptam esse: ex. gr. Extravagantem Pauli II. contra alienantes bona Ecclesiastica dubitas esse receptam, quia aliqui putant quoad poenas non tenere; poteris quidem sine poenæ reatu mitiorem tibi partem eligere. Ita ille.

5. Sed ego circa præsentem casum puto prorsus non esse recedendum ab affirmativa sententia, quam præter alios docet Agid. Bassæus in floribus, verbo ordo 4. n. 4. ubi sic ait: Ordinatus extra tempora legitima absque speciali Summi Pontificis dispensatione incurrit suspensionem ab ordinis executione, ut habetur in Extravaganti Pii II. cum ex factorum: & hæc suspensio est perpetua à solo Papa dispensabilis; licet si occulta sit, Episcopi ex Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. ab ea absolvere possint. Ita ille.

6. Dices,

Q 3

16. Ad argumenta verò negativæ sententiæ respondet Castus Palauus tom. 6. disp. 2. punct. 8. n. 18. Itaque dicendum est, quod negari non potest, acceptione non propriè, & formaliter beneficium acquiri, sed jam acquisitum, & tibi datum, ratum haberi, quod colligitur ex cap. si tibi absenti, de præbend. in 6. ubi concessum beneficium tametsi acceptatum non sit, nequit alteri provideri. Fator tamen acceptione tam effici completè & perfectè, sicut possessione. Sed quia illa non tam est acquisitio juris, quam facti, idè ab excommunicato fieri valide potest. Et ita nostram sententiam præter Doctores citatos sequitur etiam Caspensis in curs. Theol. tom. 2. tract. 25. cap. 2. sess. 6. num. 77. Turtianus de cens. lib. 2. disp. 16. dub. 2. Mercetus de Sacr. q. 21. dub. 8. Imò ex Suarez disp. 13. sess. 1. prædictam acceptionem excusat à peccato Caspensis ubi supra, quia non est communicatio, sed declaratio propriæ voluntatis, quæ non prohibetur per jus; & argumenta contrariæ sententiæ tantum probant, acceptionem illam non esse validam, quantum ad acquisitionem juris, non verò quantum ad consensum declarationem; ac proinde si post talem acceptionem absolvetur ab excommunicatione, non indigebit alia nova collatione, aut acceptione; sed cum primum absolvetur acquirat jus in beneficium. Et hanc sententiam tenet etiam Præpositus in 3. p. D. Thom. q. 1. de excomm. dub. 11. num. 67. qui ex his colligit quid dicendum de præsentatione, & electione alicujus facta ante excommunicationem, acceptata autem in excommunicatione, quod videlicet quamvis per talem acceptionem jus non solidetur pro eo tempore, solidari tamen possit, postquam absolutio à censura fuerit obtenta.

RESOL. XXXVI.

An quis recipiat Ordines minores extra tempora, ante legitimam aetatem, vel sine litteris dimissoriis, vel eum falsis incidat in suspensionem latam in Bulla Pii II. anno 1401?

Et advertitur, quod sic ordinati Ordinibus sacris suspenduntur ab Ordinum executione; & ideo si ante obtentam licentiam à proprio Episcopo ministrant, sunt irregulares. Ex p. 5. tract. 10. Ref. 30.

Respondeo negativè cum Riccio par. 4. dec. 93. num. 6. ubi sic ait: Adverte prædictam Pii II. Bullam solummodo loqui de suspensibilibus Ordinibus sacros extra tempora, vel ante legitimam aetatem, aut sine litteris dimissoriis, vel falsis, quod est idem, non tamen loquitur de prima Tonsura, vel de Ordinibus minoribus, & stando etiam juri communi in dictis casibus non incurrebatur suspensio à suspensibilibus minores Ordines, ut latè probat Navar. in Manual. cap. 25. num. 76. & cap. 27. num. 242. ubi etiam asserit solummodo Pium II. suspendisse ordinatos Ordines sacris in dictis casibus & declarasse esse eos ipso facto suspensos, atque irregulares si celebrent, non tamen ibi mentionem fecisse de prima Tonsura, aut minoribus Ordinibus. Ita ille, cui adde Mirandam in Man. Prel. tom. 1. q. 39. art. 7. concl. 1. Henriquez lib. 10. cap. 1. n. 2. in glossa lit. M. Zerolam in praxi Episcop. p. 1. verb. dimissoria. Toletum lib. 1. cap. 49. n. 5. Campanili in divers. jur. Canon.

2. Advertendum est tamen quod ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 8. sic ordinati suspenduntur ab Ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbuntur, idè quæ si ante obtentam licentiam à proprio Episcopo ministrant, sunt irregulares, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Ita docet Scortia in bulla Pontificæ tom. 39. theoretem. 109. & alii.

Tom. V.

6. Dices, quando dubitatur an lex fuerit promulgata, & ab usu recepta, tunc non obligare legem etiam censuram, vel irregularitatem imponit, docent Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 19. §. 12.* Salas 1. 2. *tract. 8. sect. 18. numero 196.* valde probabile censet Castro Palao *tract. 1. disp. 3. punct. 7. n. 4.* Probat, quia tunc lex non possidet, cum nondum constet an sufficienter imposita sit quoad vim coercitivam, lex enim non obligat sine promulgatione §. *in his autem instit. de contrab. empt.* Nec item obligat secundum aliquorum sententiam donec acceptetur, & usu recipiatur, ut tradunt, Navarr. *cap. 23. n. 41.* Rebell. *part. 1. lib. 1. §. 5. n. 7.* Dum ergo dubium est, an lex fuerit promulgata, vel acceptata, dubium est consequenter, an unquam obligaverit, & per consequens an fuerit vera lex; & idcirco non possidet, quamvis censuram, aut irregularitatem imponat.

7. Sed dicta constitutio, ut observat Hinojosa dubitatur an fuerit usu recepta, ergo non obligabit.

8. Respondeo, in dubio de acceptance teneri subditos ad observandam legem, quia verè possidet lex, dum constat latam esse; Siquidem habet pro se juris presumptionem, & alleganti non esse receptam incumbit onus probandi. Quare dum id non probat, tenetur ad legis observationem. Secus est de promulgatione, quia lex esse non potest sine promulgatione, nec verè dicitur lata donec ritè promulgetur, ita Sanchez 1. 1. *Decalog. cap. 10. n. 35.* Filliuc. *tract. 2.1. n. 164.* Manuel *tom. 1. reg. 9.6. punct. 4. n. 44.* & de peccat. *disp. 2. §. 4. punct. 7. num. 19.*

9. Sed constitutionem Pii II. esse promulgatam & usu receptam patet ex stylo, & Praxi Romanæ Curie, à qua omnino minime recedendum puto; & ita in facti contingentia sic ordinat, ne deserat dispensationem petere à Summo Pontifice; & si res sit occulta à Sacra Penitentiaria, vel ab Episcopo.

10. Sed, an in tali casu, quis possit obtinere dispensationem virtute Bullæ Cruciatæ, vel Privilegiorum Regularium? vide me ipsum alibi, nunc tantum sufficiat pro curiosis adduxisse opinionem Hinojosæ, & illam improbasse, ac in eam ultimam sententiam circa præsentem difficultatem aperuisse.

11. Nota verò, quod ea, quæ dixi contra Hinojosam militare etiam contra Patrem Escobar; Nam video stylo, & Praxim Curie Romanæ esse in contrarium, videlicet constitutionem Pauli II. esse usu receptam, & quidem etiam seclusa praxi Romana absolute loquendo, videtur mihi magis probabilis opinio, asserens quod quando adest dubium, si lex sit usu recepta necne, præsumendum esse acceptatam, quia in tali casu possessio, & præsumptio non est pro libertate, sicuti putat Castrus Palaus, sed, ut diximus, pro lege; & probatur, nam onus probandi legem non esse receptam, pertinet ad illum qui hoc asserit, proinde dum non probatur, lex manet veluti in sua possessione & vigore, neque urget ratio Azorii, nempe in materia odiosa, qualis est lex, sed pœnalis, posse subditum amplecti opinionem, quæ asserit, legem non esse usu receptam, nam contra hoc facit, cum possessio se teneat ex parte ipsius legis, & non ex parte subditi, seu ejus libertatis, proinde Azorius, qui suam sententiam fundat in hac ratione, nihil pro se probat.

12. Ita præter Doctores supra cit. tenet Hermanus Buisinbaum in *medulla Theologia moralis* 1. 1. *tract. 2. cap. 1. dub. 3. n. 6.*

13. Sed dices, omnia superius dicta, secundum opinionem, ut diximus probabiliorē procedere, quando sumus in dubio, sed non quando adsunt opiniones Doctorum hinc inde, sed in casu Fratris Hinojosæ de Bulla Pii II. adsunt opiniones pro utraque parte, & sic contra alios Auctores Armilla, & alii asserunt,

dictam Bullam non esse receptam; Ergo in tali casu asserit Sanchez. *in summ. tract. 1.15. cap. 10. n. 45.* Baldellus in *Theol. mor. tom. 1. l. 5. disp. 9. n. 4.* & alii posse subditos, opinionem negativam sequentes abique peccato legem illam non servare, quia unicuique licitum est amplecti opinionem probabilem.

14. Sed in tali casu Merolla in *Theol. tom. 1. disp. 3. cap. 3. dub. 2. corollar. 8. num. 129.* & Bardi de *consuetud. disp. 6. cap. 2. dub. 2. num. 5.* oppositum defendunt, nam in pari casu melior est possidentis conditio, proinde cum pro utraque parte, nempe pro receptione, & pro non receptione sint probabiles opiniones, potior videtur conditio legis ex cuius parte se tenet possessio, & ad illam rationem, quam pro se adducit Sanchez, videlicet posse ab unoquoque eligi probabilem opinionem; respondet Merolla id esse intelligendum, quando nulla est possessio pro altera parte, nam possessio facit prævalere partem, cui adhaeret.

15. Verum me nimis urget, ut dictum est, Praxis contraria, quam video hic Romæ servari quoad dictam Constitutionem Pii II. Unde videtur usum receptam, & idcirco non obstantibus supradictis, nolo à stylo Curie recedere, qui dictam constitutionem receptam supponit.

RESOL. XXXVIII.

De quodam Clerico, qui Ordinem Subdiaconum suscepit cum dimissoriis falsis.

Et docetur supradictum Clericum incurrisse suspensionem. Difficultas vero est, an incurrisit irregularitatem?

Et notatur, quod in utroque Episcopus, & Confessorius virtute Cruciatæ, & etiam Regularis virtute privilegiorum possunt dispensare. Ex p. 11. tract. 6. Misc. 6. Ref. 4.

§. 1. Respondeo supradictum Clericum secundum opinionem Marchini, de *Sacram. Ordin. r. 1. part. 5. cap. 11. n. 13.* incurrisse suspensionem latam in cap. *Luganensis*, 9. §. 1. & in cap. *eos qui de tempor. ordin. in 6.* contra suscipientes Ordines ab alieno Episcopo, nam idem est ordinari à non suo, ac ordinari cum falsis Dimissoriis proprii Episcopi. Hoc supposito dicendum est, supradictum Clericum posse dispensari ab Episcopo, si suspensio occulta est, ut est in casu nostro stante privilegio Episcopis concessio in Conc. Trident. *sess. 24. cap. 6. de Reformation. ita Avila de conc. part. 3. disp. 6. dub. 1. concl. 7.* & communiter Doctores. Dico secundò posse dispensari à Confessariis Societatis IESU, & ab aliis Regularibus participantibus de eorum privilegiis: nam Sedes Apostolica concessit Confessariis Societatis quod fidelium confessionibus auditis, eos in foro conscientie absolute non vere possint à quibuscumque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis ex peccato resistentibus. Et quidem hæc verba ad suspensiones juris indistincte se extendunt: esto enim hæc suspensiones non absolute extenduntur propriè, sed dispensatione tolli debent, eo semper modo, absolutio nuncupatur. Et ita hanc sententiam in terminis tenet Avila ubi supra *dub. 2.* Castrus Palaus *tom. 6. disp. 4. punct. 9. n. 7.* Layman 1. 1. *tract. 5. part. 1. cap. 4. n. 4.* Ballaus in *Florib. Theol. verb. Suf. pensio. 3. n. 4.* Villalobos in *summa*, *tom. 1. tract. 9. disp. 60. num. 9.* & alii. Et tandem dico tertio, supradictum Clericum posse dispensari à quolibet Confessorio approbato in Regnis, ubi viget Privilegium Bullæ Cruciatæ. Et ita docet me citato, Leander de *Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 6. quest. 16.* Serius in *Rebus Crue. disp. 1. diff. 1. o. §. 8. quest. 30. num. 2.* Remigius in *Rebus*

Sup. hoc in Ref. 1. not. præterit, §. Respondeo legem. Vide ejus doctrinam.

Alibi in to. 4. §. 3. Ref. 128. §. 2. in fine. & in Ref. 129. prope finem, & hoc intellige pro privilegio Regular. & pro Cruciatæ in principio dictarum Ref. & pro utroque hic inf. in Ref. seq. §. 1. à vers. Dico secundum.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. Ref. 40. §. 2. cursum in sup. & in fin. dictæ Ref.